Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

potestis eis et proprie cum
petrosellino. Caules
vero quia calidi sunt in
primo, sicci in 2°, conveniunt
vobis. Et primo quia maturant
leniunt et desiccant et provo-
cant 2°. canonis libri 23° con-
tinente capitulo 641° scribatur
auctore Galieno et Ibnmasy
quod sanguis eius est malus
et horribilis odoris, intel-
ligitur quando fuerit multum cocti.
Boragine uti potestis
ponitur enim species buglosse
que temperata est, de Bora-
gine tamen pauci scribunt
et Avicenna nichil. Cerifo-
lium etiam est stomachale
aperitivum et subtiliativum
ideo placet. De radicibus vero
uti potestis, quamquam raphano
quia calidus in primo et humidus
in 2° aperitivus dissolutivus
et flegmatis per urinam educ-
tivus melius tamen est ipsum
comedere post cibum. Et folia eius
meliora sunt valde quam ra-
dix. Bulbus vero est cepe
pium, quod comeditur dictum (v. aschlach)
scalonia, nocet stomacho et facit
digeri. ideo non est vobis bonus
quamquam tamen laudatur. Aleum autem
racionali iudicio confert vobis (de aleo nota)
cum sit calidum et siccum in 3°. li-
cet habeat humiditatem sup-
fluam, tamen quia est aperitivum
incisivum et subtiliativum, et
est vobis utile, melius tamen
est coctum cum zuccaro vel melle
et aceto conditum. Cepe
est calidum et siccum in 3°. et habet
multam superfluitatem ideo raro
uti potestis nisi cum aceto et oleo.
Et porum iterum licet sit ca-
lidum et siccum in 3°. quia tamen
nocet visui et stomacho ideo
dimittatur. Si tamen quamquam ali-
quid ex eo voltis comedere
comedatis cum melle. Rape
autem quia superfluitatem ha-
bent humiditatis, et diffici-
lis digestionis existunt, ideo
non laudatur. Democritus namque
dampnavit eas tamquam coagu-
lativas et inflationis exci-
tativas, licet diocles et
dyonisius oppositum senciat
condite tamen secundum usum
vobis convenire possunt. De ca-
rotis autem Quia calidis
aperitivis et conveniunt
precipitativis flegmatis uti po-
testis. Sparagis etiam suis tem-
poribus uti potestis propter cau-
sas notas. Oliue etiam pla-
cent michi convenienter con-
dite propter caliditatem et sicci-
tatem et apertionem et con-
fortationem quam acquisive-
runt ex condientibus licet per
se sint difficilis digestionis.
Cappares Cum sint apitivi
resolutivi et abstersivi et
flegmatis eductivi multum
placent etiam quia calidi
et sicci in 2°. et capiti et sto-
macho et nervis utiles.
De fructibus vero evitentur
omnes frigidi et humidi. Ce- (de cerasis)
rasa igitur quia frigida et
humida omnia evitentur. li-
cet in eis virtus diversificetur
non parum Nam dulcia sunt
stomacho nociua, sed ventris
lenitiva magis. Acria vero
sunt utilia stomacho, et
flegmatis incisiva et ventris
constrictiva magis ut Rasis
primo capitulo° auctore Galieno.